

R^{de} Pater.

Duo mihi negotia R.V^{ra} commendat. Unum relinquetur, alterum assumetur, secundum evangelium. Fateor enim R.V^{ae} me non levi scrupulo tangi, cum indulgentias, praesertim plenarias, vel minus necessarias procuro. Nam et concilia vetera, et nova hortantur summos Pontifices, ut indulgentiarum concessionem ad veterem moderationem reducant: et revera vix inveniri potest sufficiens causa indulgentiae plenariae tam frequentis. Scit R.V^{ra} episcopis prohibitum esse, ne indulgentias concedant, nisi 40 dierum, et in dedicatione ecclesiae, unius anni, quia ipsi etiam summi Pontifices vix ultra annum indulgentias extendebant. Cum autem locus iste sanctus in monte Busso sine indulgentiis tam diligenter à fidelibus frequentetur, quid opus est indulgentiis? Nonne satius est, ut christiani homines pio isto labore satisfaciant Deo pro peccatis admissis, quam ut per indulgentias non necessarias enervetur rigor poenitentiae? Hoc est igitur primum negotium, quod relinquetur, aut certe per me non procurabitur. Quod si quis alius id procurare voluerit, non impediam.

Alterum negotium de impetranda facultate duobus illis pastoribus, legendi libros prohibitos, libentissime suscipio, et primo quoque tempore facultatem authenticam sine ullo vestro sumptu, vel labore transmittendam curabo: existimo enim eam facultatem omnino necessariam esse Verbi ministris, qui inter haereticos versantur.

R.P. Rectorem officiose ex me salutari cupio; ut etiam R.P. Alexandrum, cui nomine meo significari desidero me non defuturum expeditioni, quam mihi commendavit. Et si aliquando alumni collegii Germanici ad me venirent, et in memoriam revocarent quae sunt pro illis partibus in Urbe expedienda, facilius, et brevius expeditur. Sed illi pigri sunt, et ego facile obliviscor rerum tam multarum, quae mihi commendantur. Opto R.V. et omnes patres, et fratres istius collegii bene valere, et strenue, ut faciunt, in vinea Domini laborare, et mei quoque memores esse in sanctis precibus suis.

Datum Romae, die 18 januarii 1606.